

nec hereditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.

22. Et confurgam super eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.

23. Et ponam eam in possessionem ericij, & in paludes aquarum, & scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum.

24. Iuravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit: & quomodo mente tractavi,

* Sennacherib. 25. sic eveniet: Ut conteram Assyrium* in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur.

26. Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extenta super universas gentes.

27. Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare? & manus eius extenta: & quis avertet eam?

† Alia prophetia, quæ non coheret cum superioribus. 28. † In anno, * quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud:

29. ne læteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrum.

* Ann. M. 3277. Ant. Chr. 727. 30. Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter quiescent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.

31. Ulula porta, clama civitas: prostrata est Philisthæa omnis: ab Aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiet agmen eius.

32. Et quid respondebitur nunciis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi eius.

CAPUT XV.

Moabitarum ruina prædicitur, & compassio prophetae erga Moab.

* Hoc vatini- cinium durat ad c. 17. pertinet autem ad ea quæ dicuntur 4. Reg. 17. & 18. de Salmanasare, qui comperta Osce conspiratione, primum Moabitarum agrum vastavit: deinde totum Israëliticum regnum pervasit circa ann. 728.

1. **O**Nus * Moab. Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit: quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit. 2. Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum super Nabo, & super Medaba, Moab ululavit: † in cunctis capitibus eius calvitium, & omnis barba radetur.

† Ierem. 48. 37. Ezech. 7. 18.

3. In triviis eius accincti sunt sacco: super tecta eius, & in plateis eius omnis ululatus descendit in fletum.

4. Clamabit Hesebon, & Eleale, usque Iasa audita est vox eorum. super hoc expediti Moab ululabunt, anima eius ululabit sibi.

5. Cor meum ad Moab clamabit, vestes eius usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith fleus ascendet, & in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.

6. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viron omnis interiit.

7. Secundum magnitudinem operis & visitatio eorum: ad torrentem salicum ducent eos.

8. Quoniam circumivit clamor terminum Moab: usque ad Gallim ululatus eius, & usque ad Puteum Elin clamor eius.

9. Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine: ponam enim super Dibon addimenta: his, qui fugerint de Moab leonem, & reliquis terræ.

CAPUT XVI.

Orat emitti agnum, nempe Christum, de Petra deserti: Moab ob arrogantiam & perfidiam humiliabitur, paucis ex eo relictis.

1. **E**Mitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filia Sion.

2. Et erit: sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes, sic erunt filia Moab in transensu Arnon.

3. Ini consilium, coge concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne prodas.

4. Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris: finitus est enim pulvis, consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram.

5. Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est.

6. * Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius.

7. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.

8. Quo-

8. Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & vineam Sabama domini Gentium exciderunt: flagella eius usque ad Iazer pervenerunt: erraverunt in deserto, propages eius relictae sunt, transierunt mare.

9. Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama: inebriabo te lacrymâ meâ Hesebon, & Eleale: quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irrui.

10. Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque iubilabit. vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat: vocem calcantium abstuli.

11. Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris.

12. Et erit: cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, & non valebit.

13. Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc:

14. & nunc locutus est Dominus, dicens: In tribus annis quasi anni mercenarij auferetur gloria Moab super omni populo multo, & relinquetur parvus & modicus, nequaquam multus.

CAPUT XVII.

Vastatis Damascenis auxiliariis populi Israël, similiter & Israël vastabitur, quia oblitus est Dei salvatoris sui, ad quem calamitate pressus revertetur: & va persecutoribus populi Domini denuntiarur.

* Capta fuerat Damascus à Theglathphalasar, ut est 4. Reg. 16. 9. sed excisa fuit à Salmanasare, cum Israëliticum regnum excisum est, ob societatem quam fecerat cum decem tribubus. Ob id mala utrorumque ibi Propheta coniungit.

1. **O**Nus Damasci. Ecce Damascus* desinet esse civitas, & erit sicut acervus lapidum in ruina.

2. Derelictæ civitates Aroer gregibus erunt, & quiescent ibi, & non erit qui exterreat.

3. Et cessabit adiutorium ab Ephraim, & regnum à Damasco: & reliquæ Syriæ sicut gloria filiorum Israël erunt: dicit Dominus exercituum.

4. Et erit in die illa: attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius marcescet.

5. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium eius spicas leget: & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim.

6. Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excusio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor

aut quinque in cacuminibus eius fructus eius: dicit Dominus Deus Israël.

7. In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, & oculi eius ad sanctum Israël respicient:

8. & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus eius: & quæ operati sunt digiti eius non respiciet, lucos & delubra.

9. In die illa erunt civitates fortitudinis eius derelictæ sicut aratra, & segetes quæ derelictæ sunt à facie filiorum Israël, & eris deserta.

10. Quia oblita es Dei salvatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis.

11. In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit: ablata est messis in die hereditatis, & dolebit graviter.

12. Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis: & tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum.

13. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, & increpabit eum, & fugiet procul: & rapietur sicut pulvis montium à facie venti, & sicut turbo coram tempestate.

14. In tempore vespere, & ecce turbatio: in matutino, & non subsistet. hæc est pars eorum, qui vastaverunt nos, & fors diripientium nos.

CAPUT XVIII.

Adversus Ægyptios qui Iudeos pellexerant ad considendum in ipsis: additur consolatio populi Iudaici de reditu ad Ierusalem.

1. **V**Æ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ,

2. qui * mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. Ite angeli † veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam: ad populum terribilem, post quem non est alius: ad gentem expectantem & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius:

3. Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis:

4. quia hæc dicit Dominus ad me: Quiescam, & considerabo in loco meo

uti noluisse, sed statim angelo suo misso Sennacheribi exercitum delevisse.

† i. nunciis, sunt autem verba Tiracæ regis.

sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die mæsis.

5. Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcedentur ramusculi eius falcibus: & quæ derelicta fuerint, abscindentur, & excutientur.

6. Et relinquentur simul avibus montium, & bestiis terræ: & æstate perpetua erunt super eum volucres, & omnes bestia terræ super illum hiemabunt.

7. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo divulso & dilacerato: à populo terribili, post quem non fuit alius, à gente expectante, expectante & conculcata, cuius diriperunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum montem Sion.

CAPUT XIX.

Describit plenius Ægyptiorum punitionem; & quod ad Deum conversi, misso ipsi salvatore, consolabuntur.

*Post mortem Sethonis regis Ægypti, cui bellum intulerat Sennacherib, divisa est Ægyptus in reges duodecim, quoniam aristocratiæ antea durasse notat Diodorus Siculus. Tandem hominum unus Pfammiticus, alios vicit & interfecit. Huc spectat presens vaticinium. † Duodecim illorum, de quibus supra. * Scilicet, Pfammiticus qui ab ann. 334. per 54. annos regnum obtinuit.

1. **O**Nus Ægypti. * Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius.
2. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum.
3. Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus eius, & consilium eius præcipitabo: & interrogabunt simulachra sua, & divinos suos, & pythones, & ariolos.
4. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis * dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.
5. Et arefcet aqua de mari, & fluvius desolabitur, atque siccabitur.
6. Et deficient flumina: attenuabuntur, & siccabuntur rivi aggerum. Calamus & iuncus marcescet:
7. nudabitur alveus rivi à fonte suo, & omnis sementis irrigua siccabitur, arefcet & non erit.
8. Et moribunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent.
9. Confundentur qui operabantur linum, pectentes, & textentes subtilia.
10. Et erunt irrigua eius flaccientia: om-

nes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.

11. Stulti principes Taneos, sapientes consilarii Pharaonis dederunt consilium insipiens: quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum?

12. Ubi nunc sunt sapientes tui? annunciant tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.

13. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Memphæos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius.

14. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.

15. Et non erit Ægypto opus, quod faciat caput & caudam incurvantem, & refrenantem.

16. In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, & stupebunt, & timebunt à facie commotionis manûs Domini exercituum, quam ipse movebit super eam.

17. Et erit Terra Iuda Ægypto in pavorem: omnis, qui illius fuerit recordatus, pavebit à facie consilij Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam.

18. * In die illa erunt quinque civitates in Terra Ægypti, loquentes linguâ Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una.

19. In die illa erit altare Domini in medio Terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius

20. erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.

21. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscetur Ægypti Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & solvent.

22. Et percutiet Dominus Ægyptum plagâ, & sanabit eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.

23. In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, & intrabit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios, & servient Ægyptii Assur.

24. In die illa erit Israël tertius Ægyptio & Assyrio: benedictio in medio terræ,

25. cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrio: hereditas autem mea Israël.

* Ezech. cap. 30.

SABB. 4. T E M P. ADVENT. EPIST. I.

CA-

CAPUT XX.

Ex hoc quod Isaias iubetur nudus & discalceatus incedere, prædicitur Ægyptiorum & Æthiopum captivitas ab Assyriis, Iudæis de illorum afflictione stupentibus.

* Anno M. 3291. Ant. Chr. 713. † Id est Sennacherib inter cuius duces, Tharthanem legimus. 4. Reg. 18. 17. * V. Zach. 13. 4. Matth. 3. 4. * Hæc de expeditione Sennacherib contra Sathonem regem Ægypti & Tharacum regem Æthiopiæ intelligenda videntur, facta ann. M. 3294. Ant. Chr. 710. Vid. infr. 37. 9.

1. **I**N anno, * quo ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset eum Sargon † rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotum, & cepisset eam:

2. in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filij Amos, dicens: Vade, & solve faccum * de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus, & discalceatus.

3. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit fervus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum & portentum erit super Ægyptum, & super Æthiopiam,

4. sic minabit rex * Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, iuvenum & senum, nudam & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.

5. Et timebunt, & confundentur ab Æthiopia spe suâ, & ab Ægypto gloriâ suâ.

6. Et dicet habitator insulæ huius in die illa: Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos à facie regis Assyriorum: & quo modo effugere poterimus nos?

CAPUT XXI.

Ruina Babylonis per Medos & Persas: onus Idumæ & Arabiæ.

1. **O**Nus deserti maris. Sicut turbines ab Aphrico veniunt, de deserto venit, de terra horribili.

2. Visio dura nunciata est mihi: qui incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est, vastat. Ascende Ælam, obside Mede: omnem gemitum eius cessare feci.

3. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis: corru cum audirem, conturbatus sum cum viderem.

4. Emarcui cor meum, tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.

5. Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite principes, arripite clypeum.

6. Hæc enim dixit mihi Dominus: Va-

de, & pone speculatorem: & quodcumque viderit, annunciet.

7. Et vidit curram duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli: & contemplatus est diligenter multo intuitu.

8. Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: & * super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.

9. Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum, & respondit, & dixit: * Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram.

10. Tritura mea, & filii areæ meæ, quæ audivi à Domino exercituum Deo Israël, annunciavi vobis.

11. Onus Duma ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? custos quid de nocte?

12. Dixit custos: Venit mane & nox: si quaeritis, quaerite: convertimini, venite.

13. Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.

14. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrere fugienti.

15. A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie gravis prælij:

16. quoniam hæc dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarij, & auferetur omnis gloria Cedar.

17. Et reliquæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Israël locutus est.

CAPUT XXII.

Sermo Domini contra Ierusalem, cuius despecto propheta vastitatem: & quod neglecto Deo frustra se munit ad resistendum Assyriis: carpuntur, quod cum plangere deberent, gula indulgeant: & reiecto Sobna templi preposito substituitur Eliacim, cui magna datur potestas.

1. **O**Nus * vallis visionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti & tu omnis in tecta?

2. Clamoris plena, urbs frequens, civitas

Verum ad Manassis quoque tempora (cum quo captivus ductus impius Sobna) & ad ea quæ sunt in libro Iudith, referri quoque posse, opinantur, multi. Qui autem hic v. 20. nominatur Eliacim, non is esse videtur de quo infra c. 36. v. 5. & 37. 2. ac 4. Reg. c. 18. v. 18. qui sub Ezechia Manassis patre floruit sed eius potius filius, ipsius Helcia nepos. Ille enim Eliacim prepositus domus erat, & sobna scribam tum solum agente, multo dignitate superior: hic vero ipso Sobna conditione inferior, quippe qui in eius locum prædicitur sublevandus.

* Hab. 2. 1.

* Ier. 51. 8. Apoc. 14. 8.

* Hæc ad expeditionem quidem Sennacheribi pertinere videntur.

tas exultans: interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello.

3. Cumcti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt: omnes, qui inventi sunt, vincti sunt pariter, procul fugerunt.

4. Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut confolemini me super vastitate filia: populi mei.

5. Dies enim interfectionis, & conculcationis, & fletuum Domino Deo exercituum in valle visionis scrutans murum, & magnificus super montem.

6. Et *Elam* * sumpsit pharetram, cursum hominis equitis, & parietem nudavit clypeus.

7. Et erunt electae valles tuae plenae quadrigarum, & equites ponent sedes suas in porta.

8. Et revelabitur operimentum Iudae, & videbis in die illa armamentarium domus saltus.

9. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatae sunt: & congregastis aquas piscinae inferioris,

10. & domos Ierusalem numerastis, & destruxistis domos ad muniendum murum.

11. Et lacum fecistis * inter duos muros ad aquam piscinae veteris: & non suspexitis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem eius de longè non vidistis.

12. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad plantatum, ad calvitium, & ad cingulum facie:

13. & ecce gaudium & laetitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: * Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.

14. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hac vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

15. Haec dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredi ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum templi, & dices ad eum:

16. Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelsu memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.

17. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic sublevabit te.

18. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spaciosam: ibi morieris, & ibi erit curus gloriae tuae, ignominia domus Domini tui.

19. Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te.

20. Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciae,

21. & induam illum tunicam tuam, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius: & erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda.

22. * Et dabo clavem domus David super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.

23. Et figam illum paxillum in loco fidei, * & erit in solium gloriae domui patris eius.

24. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diversa genera, omne vas parvulum a vasis craterarum usque ad omne vas muscorum.

25. In die illa dicit Dominus exercituum auferetur paxillus **, qui fixus fuerat in loco fidei: & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerit in eo, quia Dominus locutus est.

CAPUT XXIII.

Tyri vastitas ad annos septuaginta praedicitur propter eius superbiam, & postea restituetur.

1. **O**Nus Tyri. * Ululate naves maris: quia vastata est domus, unde venire consueverant: de Terra Cethim revelatum est eis.

2. Tacete qui habitatis in insula: negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleverunt te.

3. In aquis multis semen Nili, mensis fluminis fruges eius: & facta est negotiatio gentium.

4. Erubescet Sidon: t ait enim mare: fortitudo maris dicens: Non parturivi, & non peperivi, & non enutriivi iuvenes, nec ad incrementum perduxivi virgines.

5. Cum auditum fuerit in Aegypto, dolent cum audierint de Tyro:

6. Transite maria, ululate qui habitatis in insula:

7. Numquid non vestra haec est, quae gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? ducent eam pedes sui longè ad peregrinandum.

8. Quis

† Quae quodammodo parens Tyri erat: siquidem a rege Alcaloniorum expugnati Sidonii, ut refert Iustinus, navibus appulsi Tyrum condiderunt.

* Per Elam Perse intelliguntur, unde oriundus Holofernes. V. Iudith 16. 12.

* 4. Reg. 20. 20. 2. Par. 32. 30.

* Sap. 2. 6. Inf. 56. 12. 1. Cor. 15. 32.

8. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inelyti terrae?

9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, & ad ignominiam deduceret universos inclutos terrae.

10. Transi terram tuam quasi flumen filia maris, non est cingulum ultra tibi.

11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna: Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes eius,

12. & dixit: Non adjicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo filia Sidonis: in Cethim confurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi.

13. Ecce terra Chaldaeorum talis populus non fuit, Assur fundavit eam: in captivitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam.

14. Ululate naves maris, quia devastata est fortitudo vestra.

15. Et erit in die illa: In oblivione eris o Tyre septuaginta annis, * sicut dies regis tui: post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis.

16. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.

17. Et erit post septuaginta annos: Visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes suas: ** & rursum fornabitur cum universis regnis terrae super faciem terrae.

18. Et erunt negotiationes eius, & mercedes eius sanctificatae Domino: non condecantur, neque reponentur: quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio eius, ut manducet in saturitatem, & vestiantur usque ad vetustatem.

CAPUT XXIV.

Mala quae Dominus propter peccata universo orbi facturus est, adiecta interim reliquiarum consolatione: & quam terribilis erit dies divini iudicii.

1. **E**Cce Dominus dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem eius, & disperget habitatores eius.

2. * Et erit sicut populus, sic sacerdos: & sicut servus, sic dominus eius: sicut ancilla, sic domina eius: sicut emens,

sic ille qui vendit: sicut scenerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.

3. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione praedabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc.

4. Luxit, & defluxit terra, & infirmata est: defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terrae.

5. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum.

6. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius: ideoque insanient cultores eius, & relinquentur homines pauci.

7. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui laetabantur corde.

8. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae.

9. Cum canticum non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam.

10. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.

11. Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis laetitia: translatum est gaudium terrae.

12. Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas.

13. Quia haec erunt in medio terrae, in medio populorum: quomodo si paucae olive, quae remanserunt, excutiantur ex olea: & racemi, cum fuerit finita vindemia.

14. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus, hincient de mari.

15. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israel.

16. A finibus terrae laudes audivimus, gloriam iusti. Et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, va mihi: pravaricantes pravaricati sunt, & pravaricatione transgressorum pravaricati sunt.

17. Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terrae.

18. Et erit: * Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam: & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo: quia cataractae de excelsis apertae sunt, & concucientur fundamenta terrae.

19. Confractioe confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra,

* Quibus adumbrantur alii 70. anni captivitatis Iudae, de quibus vide Ier. 25. 3. t i. regni nimirum Babylonicum, quod a Cyro vastatum in oblivione erit. ** Nam post ann. 70. ab oblivione per Nabuchodonosor facta, (quorum finis in ann. M. 3502. Darij Hystaspis 19. cadit,) quiescit permansit, ad usque Alex. Magni tempora.

* Apoc. 7. 7. Iob 12. 14. t i. Pleenam administrationem regni. * i. Firmabo eum & figam in dignitate & loco eximiosita ut omnes ab eo pendant. Factum autem id videtur tempore Iudith sub ponente Manasse. ** Alius a superiori, nempe Sobna.

* Hoc eo tempore prophetae revelatum videtur, quo Tyrii, insigni victoria contra Salmana-farem partem (ut ex Menandro Tyrio refert Ioseph sub finem l. 9.) naturae loci & industriae confidentes, in propinquos Israelitas & alios ferociter agebant.

Anno M. 3287. Ant. Chr. 717.

* Osee 4. 9.